

gancz halden vnde geloben daß vch vnde ewerm capitele mit disseme brife in guten truwen, vnd wellen vch den kowf volczyen getruwelich an alle geverde, vnd wellen vch vmme brife vnd kuntschaft enden er ye besser, wen ir welt vnd gern. Deß selben endinß ouch von vch. Gegeben yn vnserm closter an dem durnistage noch Misericordias domini vnder vnserm sigil.

Elizabeth eptischynne, Margareta priorinne, Barbara vndirpriorin
vnd dy gancz samenunge zeu dem heilligm Crucze.

Nach dem Registrum copiarum fol. 44 im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden.

No. 167. 1391. 26. Apr.

Das Kloster zum h. Kreuz bei Meissen verkauft an das Thomaskloster das Dorf Sommerfeld.

Nos Heinricus praepositus, Elizabeth dei gratia abbatissa, Margareta priorissa, Barbara subpriorissa totusque conventus sanctimonialium monasterii sanctae Crucis prope Mysnam recognoscimus et ad universorum notitiam praesentium et futurorum publice deducimus per praesentes, quod de unanimi consensu omnium quorum consensus fuerat de iure requirendus tractatibusque diversis ac consilio ac deliberatione maturo et diligenti praehabitis nostri monasterii utilitatem et meliora prospicientes honorabilibus et religiosis viris dominis Nicolao praeposito ac conventui monasterii sancti Thomae apostoli in Lipczk ordinis sancti Augustini canonicorum regularium Mersburgensis diocesis villam nostram Sommerfeld^{a)} cum omnibus et singulis censibus redditibus fructibus servitutibus agris pascuis pratis cultis et incultis et obventionibus universis vendidimus, ac perpendentes huiusmodi bona nostro monasterio propter distantiam loci minus utilia iusto venditionis et emptionis contractu interveniente omni dolo et fraude remotis pro nobis nostrisque successoribus quibuscunque vendimus et tradimus titulo purae et perfectae venditionis irrevocabiliter et in perpetuum ipsam villam cum suis pertinentiis universis, praefato domino praeposito pro se suisque successoribus recipiente, ad habendam tenendam et perpetuo possidendam et disponendam et prout sibi suisque successoribus deinceps placuerit fructificandam pro ducentis sexagenis latorum grossorum Fribergensis monetae nobis nostroque monasterio utiliter et totaliter persolutis et numeratis ac in evidentem iam dicti monasterii nostri utilitatem et specialiter pro utilioribus et certioribus redditibus comparatis notorie conversis. Unde de certa scientia ipsis domino praeposito et conventui damus et tradimus huiusmodi villam cum suis pertinentiis omnique iure utilitate libertate ac privilegiis, quibus nos eandem villam a quibuscunque principibus donatam et a summis pontificibus seu regibus confirmatam tenuimus, titulo et iure proprietatis pro se suisque successoribus pacifice et perpetuo possidendam ac in possessionem realem et corporalem posuimus et per praesentes ponimus villae memoratae, transferentes in ipsum dominum Nicolaum praepositum et eius conventum omnia iura litteras privilegia munimenta omnesque et singulas actiones conditiones et rationes reales et personales utiles et directas tacitas et expressas, quae et quas habere poteramus seu

^{a)} Sommerfeld, Par. Panitzsch.